

quod generatum ortumque dicimus. atqui si pulcher
est hic mundus et si probus eius artifex, profecto spe-
ciem aeternitatis imitari maluit; sin secus, quod ne dictu
quidem fas est, generatum exemplum est pro aeterno
5 secutus. non igitur dubium quin aeternitatem maluerit 7
exequi, quando quidem neque mundo quicquam pul-
chrius neque eius aedificatore praestantius. sic ergo ge-
neratus ad id est effectus quod ratione sapientiaque
comprehenditur atque aeternitate inmutabili continetur.
10 ex quo efficitur ut sit necesse hunc quem cernimus
mundum simulacrum aeternum esse alicuius aeterni.
Difficillimum autem est in omni conquisitione rationis
exordium; de his igitur quae diximus haec sit prima 3
distinctio. omni orationi cum is rebus, de quibus ex- 8
15 plicat, videtur esse cognatio. itaque cum de re stabili
et inmutabili disputat oratio talis fit qualis illa: neque
redargui neque convinci potest; cum autem ingressa
est imitata et efficta simulacra, bene agi putat si simi-